



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsaris|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Arnoldo Ferrono Attico XLII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

152 IULII CÆSAR. SCAL.
omnes meos in clientelam tuam. Quod
cum fiet, non tam literis meis, quam tua li-
teratura simul atque humanitate, apud te
tuosque futuros spero in prima commenda-
tione. Vale.

ARNOLDO FERRONO

ATTICO XLII

Si vlla vnquam caussa suo merito boni
viri meruit gratiam, apud te summam
consequetur commendationem is, pro quo
non pessimus ciuis pater orat. Si amor ali-
quando cuiquam persuasit, vt in clientelam
aliquem susciperet, debuit is, qui & filium
se se meminisset, & speraret patrem, excipe-
re vota parentis pro liberis suis. Si quando
factum est, vt pietas quempiam conciliaret,
hoc decuit ei prodesse, qui innocentem in-
iuriisque obnoxiam ætatem alterius fidei
committit supplex. Si quid vsquam miseri-
cordiæ bene institutum flexit animum, vt
& se se hominem non obliuisceretur, alio-
rumque sortem respiceret, magnum afferre
momentum potest consolationis ei, qui lu-
culentissimis spoliatus fortunis, auita priua-
tus potentia, aliena in terra pro exemplo est,
quantum quisque fidei habere debeat for-
tunæ.

tunæ mobilitati. Ergo post tantam erga me magnitudinem meritorum tuorū, vt etiam te hoc officio onerarem, Attice mi, hæc omnia coegerunt me, tibi vt persuaderem suscipiendum fouendumque tua gratia Syluiolum meum, non dicam vnicum ex multis superstitem, nam id nimis adblandiatur fatis, sed vnicum, ex omnibus superstes esse qui merito est a fatis iudicatus. Eum tibi purissimi, simplicissimi animi, excelsæ atque augustæ indolis, & minime male cogitans optimum, & pater filium, & senex pene infantem, & o Dii immortales qui vbi que estis, exul extorrem: denique Cæsar sanctissimo Senatori, principi literatorum, patritio ac parenti prouinciæ, denique Attico.

SYLVIO FILIO.

LVTETIAM. XLIII.

TRES epistolas accepi tuas, vnam a reditu Africani, alteram reddidit mihi Carolus Seuinus, tertiam non is, quæ mihi commendabas, nullus enim extitit, sed qui se aiebat tabellarium. Ad superiores tibi respondi Gallice, non prius Latine hoc factururus, Græce abs te prouocatus. Verum tertia

K 5

ista